Pax Christi [An Daniel v. Büren?] Nr. 319)

f 166 [= Msc. A. 12: Nr. 314]

Accepi argenteas literas Venerande D. Consul. Erant enim adjuncti epistolæ tuæ humanissimæ, sedecim Daleri Joachimici, pro quibus in tempore redditis, tuæ benevolentiæ gratiam habeo. De aliis quos missuros speraverim, noli laborare. Tantum enim pecuniæ aliunde nactus sum, ut eâ comite in anni hujus exitum exspectare possim. Liberinum vestrū quamvis malo exemplo Scholam læserat: Tamen quia scio esse in eo ingenium et studium, in gratiam recepi, vestroque ~~rogatu~~ omnem ej offensam condonavi. Agnovit culpam suam, et sancte promisit daturum se operam: ut omnes illius fugæ deformis maculæ, nova quadam et incredibili diligentia eluantur. Hortatur D. Johannes Camper Cos: ut me ~~et~~ in plaustrū suum e meo carcere transferam excussurus hunc situm, et pulverem, in quo jam plane consenesco. Deliberavi diu multumque an fas esset amici tam æqua, tamque honestam rem flagitantis, auctoritatem diffugere. Agebat ille ~~mecum~~ eâ de re mecum sub tempus cœnæ quum primum sese huc appulisset, profecto si traxisset ad Cœnam, et hunc Senem è Schola tanquam ex agro suo redeuntem, uno generosi vini poterio refocillasset, accessissem conditionem imprudens:- Cæterum cum ille gravioribus negotiis distractus, nec visus interea mihi est, nec auditus, refrixit res, et ego me totum sic in volui examinandis classibus, constituendis lectionibus, et distribuendis laboribus hibernis, ut ad ambas usque aures puerilibus curis immersus, jam nullum pedem è meo pristino efferre possim. Præterea deducendi sunt in scholam novi Tyrones, eicii Magistri, emendi boves, penus in hiemem comportandus, denique multæ res aliæ sic me constrictum tenent hoc tempore nundinarum, ut sine magno incommodo non queam ab ædibus discedere. Erit igitur humanitatis vestræ, hujus morosi Senis necessitatis miserari, non moleste ferre. De Lakemanno nepotulo tuo bono te esse animo jubeo. Deus nos juvabit sua benedictione, pascitur à nobis, et excolitur liberaliter neque quicquam earum rerum, quæ ad usum Scholasticum pertinent ei deesse patiemur. Sed sunt plerumque Adolescentuli emaces, earum rerum quibus non erat opus, hinc eorum cupiditati cum Parentes largiter argentum subministrant, id argenti sæpe male collocatur, et nobis plagæ et sollicitudo crescunt. [illegible] tuo non loquor, qui quantum intelligere ~~possum~~ potui semper contentus fuit rebus præsentibus. Missurus est Patruo specimen studiorum suorum. Adhuc incoata res est, sed tamen agnosces pro ratione temporis, laudabiles progressus. Vale. Uxor mecum tibi tuæque honestissimæ conjugi Salutem et pacem à Domino precamur. Si quando isthuc venerit Clariss. Doctor Henricus Mollerus vehementer abs te peto, ut illi doctissimo simul et pissimo viro meam senectutem studiose commendes postridie Calend. Octobr 1578

Bremæ Senex Custos puerorum

Joh: Molanus